



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio II. Quæ sit perfectio Christiana?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

alium vniuersaliorem seclusis imperfectionibus, & specificis, & genericis: nulla autem creatura est perfecta in ratione entis: singula enim multis implicantur imperfectionibus, nec assequuntur perfectionem Dei, quam nec habent formaliter, nec eminenter.

§. 3. Secundò, perfectio physica transcendentalis est in aliquo priuato genere entis, aut specie, quando in ea ratione nihil ei deest: homo est perfectus in genere animalis: quia in eo genere habet optimum conceptum, cuius illi nihil deest: nec enim est possibile aliud melius. Quod de perfectione substantiali est certum, de accidentaria verò non ita: sunt enim in brutis meliora interdum accidentia, quam in hominibus. Visio Dei est perfecta in genere cognitionis creaturæ: nulla enim potest esse melior, in qua sunt omnes perfectiones cognitionis creaturæ, seclusis cæterarum imperfectionibus specificis: attingit enim Deum immediatè; creaturas autem in Deo. amor Dei est actus perfectus in ratione affectus creati propter rationem eandem: at sunt imperfecti in modo in ratione entis: quia pendunt ab alio, sed etiam in ratione actus vitalis: non enim habent omnem perfectionem possibilem actui vitali: actus enim Dei non solum sunt ens à se, sed etiam substantia, in qua ratione nostris actus non conueniunt cum illis: quia sunt accidentia. Sunt igitur perfecti cum imperfectione. Huc spectat illa ratio perfectionis, quam S. Hieron. contra Pelagianos perfectionem imperfectam appellat. In specie item homo est perfectus, quando nulla deest illi perfectio possibilis homini. Ea ratione Christus homo fuit perfectus in ratione viri, Maria in ratione mulieris, quibus non deest perfectio possibilis naturaliter mari & feminæ speciei humanæ. Ea ratione actus misericordiæ est in sua specie perfectus, cui nihil deest intentionis aliarumque perfectionum possibilitium in ea specte.

§. 4. Perfectionem moralem dixi esse in actibus liberis honestis, in quibus reperitur bonitas consideranda bifariam. Altera transcendentalis conuertibilis cum ente: hæc communis est cum actu bono, actui indifferenti, & turpi. Voluntas enim rusticandi absque fine bono aut prauo est indifferens in genere moris, id est, nec bona, nec mala, nec digna laude, nec vituperatione. Odium autem Dei est malum in genere moris: at verò actus illi sunt transcendentaliter boni, & physicè Deo magis placent, quam lux & color, quia physicè sunt in genere meliori. Hæc bonitas non appellatur perfectio moralis, sed potius in odio Dei est imperfectio, & malitia moralis.

§. 5. Altera perfectio in genere moris est conuenientia actus liberi, vel cum natura rationali, vt rationali; vel cum lege æterna Dei. vniuersim autem inconuenientia cum voluntate Dei. Hæc conuenientia libera aut est bonitas moralis, aut radix bonitatis. Hæc perfectio est fundamentum laudis & præmij. Bonitas transcendentalis odij Dei nec est fundamentum laudis, neque præmij, sed vituperationis atque supplicij. Qui distinguunt moralitatem ab actu bono, dicent perfectionem moralem & physicam realiter etiam esse distinctas; qui verò eas non distinguunt intrinsecè, dicent eas ratione distingui connotatione ad diuersa: quia bo-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

nitas moralis connotat voluntatem Dei, cui placet ad laudem & præmium: bonitas autem transcendentalis non connotat formaliter nec laudem, nec præmium; malitia autem moralis connotat voluntatem Dei, cui displicet ad vituperationem, & pœnam.

## SECTIO II.

### Qua sit perfectio Christiana?

§. 6. PRæmitto doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 184.

Ait Primò, tunc rem esse perfectam, quando assequitur finem, ad quem ex natura sua dirigitur: cum enim cuiusque rei perfectionem expendimus, oculos figimus in scopum, ad quem producit natura sua, vt ipse S. Thomas dixit 1. 2. q. 5. art. 1. Inde concludo, perfectionem naturæ intellectualis in via sitam esse in gratia sanctificante, qua coniungitur Deo, cuius amorem terminat, quemque amat aut actu, aut habitu: quæ quidem est vnio cum Deo vltimo fine. Perfectio autem patriæ insuper addit visionem Dei, qua fixè illi vnimur. Quo genere humanitas Christi adepta est maximam omnium perfectionem: habet enim physicam vnionem cum Deo radicem gratiæ habitualis, visionis, & amoris Dei. Hæc autem coniunctio gratiæ sanctificantis cum Deo est, quasi substantialis perfectio creaturæ: gratia enim sanctificans comparatur naturæ: in humanitate autem Christi est ea perfectio de genere substantiæ.

§. 7. Perfectio quasi accidentaria creaturæ est illius coniunctio cum Deo per actus honestos, quibus illum allicit ad laudem & præmium, si sunt in via, & liberi: ad quod hæc perfectio pendet à prima: actus enim sine gratia sanctificante nec Deum reddit amicum, nec creaturam dignam æterna vita. Hæc perfectio præcipuè reperitur in actibus charitatis, quibus Deo coniungimur immediatè per affectum, quo eum immediatè, & propter ipsum diligimus: in cæteris actibus minor est perfectio, quia nos Deo minus coniungunt. Quod S. Thomas dixit 2. 2. q. 184. art. 1. S. Hieron. in Cant. dixit summam perfectionis esse in charitate: meliùs autem dixit Apostol. charitatem esse vinculum perfectionis.

§. 8. Est autem hæc viæ quadruplex perfectio. Prima tener locum infimum: est enim status gratiæ sanctificantis carens peccato mortali, sed non venialibus: hic autem status est perfectus, sed cum magna imperfectione: quia etsi per gratiam Deo coniungimur, multa tamen in nobis Deo displicent, nempe peccata venialia. Hunc statum Apostolus ad Hebr. 10. perfectum appellat: ait enim lege Mosaica nullum potuisse fieri perfectum, id est, iustum mortali peccato carentem, quod patet ex toto contextu, & expositione Lyrana perfectos explicante, id est, *mundatos à culpa, dignos gloria*. Hos non dicimus vulgò esse perfectos.

§. 9. S. Hieron. t. 5. in c. 2. Ieremiæ, ad hæc verba, *Et non dixerunt. Vbi est Dominus?* hæc ait: *Ex quo perspicuum est, non esse perfectionem in via, sed in fine viæ, & in mansione que sanctis in celestibus preparatur. Errostra igitur noua ex veteri hæresis suspicatur, hic perfectam esse*

P p 2 esse

*S. Thom. 9. 15. q. 1.* esse victoriam, ubi pugna est atque certamen, & incertus exitus futurorum. Igitur ille status non est perfectus plenè & planè: quia aliquando succumbitur hosti in leui certamine; est autem status perfectus: quia est coniunctionis nature intellectualis cum Deo: ut docet S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 1. corp. & ad 2. clariùs autem art. 2. ubi ait hanc perfectionem, in qua nihil contrariatur charitati, esse de necessitate salutis. ipse autem Hieronymus negans in hac vita perfectionem, dicit libr. 1. Contra Pelagianos, esse hic perfectionem imperfectam: ergo non dissidet à cæteris Doctoribus.

§. 10. Secunda perfectio est, quæ carentiæ peccati mortalis adiecit carentiam peccatorum venialium, quæ committuntur ex instituto, dataque opera, siue scienter, ut aiunt, atque prudenter. quæ perfectio maior est prima, fuitque in Apostolis iam confirmatis in gratia, qui aut nullum, aut vix vllum commiserunt huius instituti peccatum. Hoc autem ad perfectionem pertinere, dixit S. Thomas 2. 2. qu. 184. art. 2. corp. & ad 2. ubi docet, carere omni peccato veniali pertinere ad perfectionem patriæ. Tertia verò est, qua nullum omnino peccatum admittitur, nec data opera, nec ex subreptione, aut indeliberatione. Quod genus perfectionis fuit in Christo & eius matre.

§. 11. Quarta & suprema perfectio est, qua non solum abstinetur ab omni peccato etiam leui, sed etiam appetitur, quod melius est. Duo sunt opera: altera in præcepto; in consilio altera. quæ præcepta sunt, non possunt liberè omitti absque peccato; quæ verò consilia, possunt: quia nulla lex ea omissione violatur.

§. 12. Scotus in 2. dist. 21. q. 1. vers. *Dico ergo:* & Gabriel in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. notab. 1. opinari videntur peccatum mortale esse quod est contra præceptum; veniale autem, quod contra consilium. Quo pacto accipiuntur à P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. disp. 143. cap. 1. & Vega lib. 4. cap. 12. E quibus respondetur, concludi violationem consilij esse peccatum veniale. At hi auctores non accipiunt consilium strictè, sed laxè pro impedimento retardante vitam æternam. Propterea Scotus dixit inanem gloriam esse contra consilium, cum tamen sit contra præceptum leue. Nullibi autem nec Scotus, nec Gabriel dixerunt matrimonium esse peccatum veniale, etsi est contra consilium de virginitate.

§. 13. Igitur peccatum mortale est contra præceptum graue cum plena deliberatione, quo admittitur gratia sanctificans, & ius ad gloriam, & constituitur obiectum inimicitiae Dei. Peccatum veniale est contra præceptum leue, siue de damno leui, ut mendacium iocolum; siue contra præceptum natura sua graue, in materia tamen parua, ut furtum semidragmæ; aut in materia graui, sed non satis consideratè, ut ira præceps. Imperfectio autem nec est peccatum, nec contra præceptum, sed contra consilium Dei: quæ si propriè accipiatur, est actus honestus, quo iustus est dignus incremento gratiæ & gloriæ, non quidem ut est imperfectio formaliter, sed materialiter actus ille. Exempli gratia matrimonium est actus imperfectus; quia est contra consilium Pauli, & omittit quod melius est: at non est peccatum, sed si ineatur cum honesto fine, & alijs adiunctis, est quidam actus bonus.

§. 14. In Deo consideramus voluntatem elegantem continentiam, verbi gratia, & odio prosequentem luxuriam: hæc voluntas est præceptiua grauius: ita eligit continentiam, ut inimicitias indicat luxuriosis. Violatio huius legis est peccatum mortale: peccatum quidem, quia est contra legem Dei; mortale verò, quia animam priuat gratia, quæ est vita spiritualis. Item diligit Deus veracitatem, interdicique mendacium, at sine minis inimicitiarum: miuatur autem pœnam aliquam temporariam per se. Violatio huius legis est peccatum leue, quia est contra legem Dei; sed componi potest cum gratia habituali, nec admittit ius ad vitam æternam: his verò duabus occasio- nibus simpliciter odio prosequitur Deus & mendacium, & luxuriam. Secundò, potest velle ali- quod obiectum, illudque voluntate præferre alteri comparatione existentia; ita tamen ut illud alterum non prosequatur odio, sed absolutè diligat, velitque esse. Exempli gratia, amat virginitatem in hominibus plus quam matrimonium, quod quidem non prosequitur odio, sed quantum est ex se, illud etiam amat: ad quod honestè ineun- dum præstat auxilia sufficientia, & interdum effici- cacia. Qui matrimonium inuit, nihil agit contra voluntatem Dei, & in eo ineundo potest uti gra- tia Dei: at qui virginitatem seruat, facit quidem aliquid conformius voluntati Dei: quia licet Deus amet matrimonium, magis tamen diligit virgini- tatem. Hæc autem maior dilectio explicatur du- pliciter. Primò, per complacentiam in ordine ad existentiam. Secundò, per quamdam inclinatio- nem maiorem. Quod explicare possumus ab hu- manis. Indiget aliquis pecunia ad iter, desiderat auream vel argenteam commodiorem aëra: hic odio prosequitur aëream, desideratque vel argen- team vel auream; magis tamen auream, quia com- modior. Qui huic obtulerit aëream, illi quidem facit ingratum, quia ei offert, quam ipse detesta- tur: qui verò obtulerit argenteam, gratum facit; quia ei offert, quam desiderat, nihilque facit con- tra eius voluntatem: qui verò ei offert auream, facit quidem gratissimum: quia ei offert eam, in quam magis inclinatur. Ita qui virginitatem of- fert Deo, facit ei gratissimum: qui autem virgi- nitatem recusat, & contrahit matrimonium, fa- cit quidem gratum Deo, ad quod Deus eum in- uitat, si virginitatem recusat: luxuriosus au- tem facit ingratum Deo. Sequi igitur maiorem illam inclinationem Dei; est perfectio Christia- na. Hæc discrimina comperies apud Hieronym. tom. 2. lib. 1. aduers. Iouinianum bene post ini- tium, & August. serm. 61. de Tempore.

### SECTIO III.

*Hæc auctoritate probantur.*

§. 15. **C** Aluinus censuit nullum esse consilium virginitatis, sed omnia, quæ Deus vult, esse præcepta: de rebus autem non præceptis nul- lum esse dissidium. Iam ostendi vol. 2. disp. 21. à §. 310. ab hæreticis nouis instauratum erro- rem Iouiniani damnantis cælibatum: contra quem egit